16

DISPUTATIO MEDICA
DE
TUSSI,

QUAM

DIVINA FAVENTE GRATIA,

Sub

RECTORATU MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMI AC CELSISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI,

DOMINI

LUDOVICI,

Ducis Würtembergiæ ac Tecciæ, Comitis Montispeligardiæ, Dynastæ Heidenhemii, &c.

CONSENSU ET APPROBATIONE

AMPLISSIMÆ GRATIOSISSIMÆQUE FACULTATIS MEDICÆ IN ILLUSTRI TUBINGENSIUM ATHENÆO,

PRÆSIDE

VIRO Nobilissimo Excellentissimo atque Experientissimo

DN. GEORG-BALTHASARE METZGERO,
Med. Doct. Prax. Anat. & Botan. Prof. P. Celeberrimo,
Præceptore ac Fautore suo omni honoris & observantiæ cultu ætatem prosequendo.

PRO LICENTIA

SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES, INSIGNIA AC PRIVILEGIA DOCTORALIA LEGITIME CONSEQUENDI,


Ad Diem 21 *Julii, horis antemeridianis,*

IN AULA NOVA.

Publico examini sistit

JOH. ULRICUS Raith / Derendingensis.

TUBINGÆ,
Typis excudebat JOACHIMUS HEIN.
ANNO MDCLXXVI.



I. N. 7.

DISSERTATIONIS INAUGURALIS MEDICÆ PRODROMUS.

Reſpiramus nunc quidem, DEO benedicente, paulò liberiùs, nec amplius noſtrum [hela
Aſpera pulmonem Tussis quatit & per an-
Igneus efflatur ſitientum ſpiritus ora;
uti circa frigidum rigidumq́ præteritæ hyemis exortum quamplurimi fuêre conqueſti: nihilominus cùm plerisque ferè morbis Symptoma hoc ſe aſſociet & de facili ſub autumno recrudeſcere poſſit, non inanem me luſurum operam credidi, ſi id loco diſputationis Inauguralis, pro ingenij mediocritate, expenderem atque publicæ φιλιάτρων cenſuræ ſubjicerem. Faxit Sanator Iſraëlis, ut hoc meum inſtitutum ſuccedat Feliciter!

Thesis I.

Unde ſuam vox Latina Tussis traxerit originem Etymologi dubitant. Sunt, qui, quod pectus tundat, à tundendo nomenclaturam petunt. Alii fictitiam eſſe putant, ex imitatione illius ſoni ac ſtrepitûs, quem edunt tuſſientes. Nonnulli à Græcorum θύσις, quod ex imo thoracis ἀναδύνηται emergat, deducere audent. Inter tot ſententiarum divortia omnium facilimè ſe extricant illi, qui immunitatem juris primitivi habere exiſtimant, & proinde fruſtra derivationes quæri cenſent. *Cæl. Aurelianus* diminutivâ

voce TUSSICULAM seu modicam tussim *Apulejus* TUSSEDINEM appellavit. Græcis Βὴξ dicitur à βήσσω tussio. *Hippocrati* tamen nostro numerus pluralis βῆχες frequentior est, prout hinc inde videri potest. Nostratibus vocatur der Husse / Saxon. eleganter Hoste / quasi dicerem ὁ ὤστης; expulsor, trusor; quæ est etiam species terræmotus Græcis. Reliqua Synonyma quæ vel minus usitata sunt, vel hunc affectum non satis exprimunt, in præsentiarum non addo.

II.

Est autem TUSSIS, ut ad Definitionem nunc accedam, *vehemens, crebra & sonora spiritûs copiosi prius attracti, è pulmonibus per asperam arteriam efflatio, à facultate expultrice irritata & veloce musculorum thoracis nec non abdominis contractione ad expellendum id, quod spirandi organis molestum, edita.*

Genus consistit in efflatione s. exsufflatione. Estque hæc remotè actio motoria; propiùs expulsoria sed depravata, & quidem mixta, quam facultas naturalis à causa p. n. stimulata orditur, nec tamen sine animalis virtutis auxilio perficere potest. Hinc etiam rectè ad primam symptomatum classem refertur. Vehemens verò dicitur, quia naturali illa & simplici exspiratione major est, unde à *Galeno 2. de sympt. caus. cap. 4.* σφοδροτάτη τις ἐκφύσησις vocatur. Crebra, quia sæpius ut plurimùm idem munus repetit. Sonora denique fit, partìm ab impetuosa copiosi spiritûs propulsione, partìm à loci, è quo & per quem fertur, singulari dispositione & admiranda structura, de quibus nunc pleniùs dicendum erit.

III.

Præcipuum Subjectum s. locus affectus sunt pulmones, naturæ folles; non enim nisi his affectis sive pri-

mariò

mariò ſive per conſenſum tuſſis fit. Afficiuntur autem non ſecundùm partes quasvis, ſed ſecundùm fiſtulas ſuas ſeu bronchia tracheæ, id quod expreſſis apud *Galenum* verbis 7. *de uſu part.* 8. *comm. in* 6. *aph.* 46. 4. *de loc. aff.* 8. 2. *de criſ.* 4. & alibi pluribus patet. Nimirum aſpera arteria non multiplici modò ramorum ſerie per pulmonum diſpergitur ſubſtantiam, ut aërem neceſſarium reſpirationis ſubſidium, ſurſum deorſumque jugiter ducat, ſed membrana inſuper maximè ſenſili interna gaudet, cujus pulmones tactu admoniti ad moleſtorum, quæ internam hanc tunicam laceſſunt, ejectionem cum impetuoſa & ſonora aëris per aſperas & hiulcas cartilaginum vias efflatione ut plurimùm non una, ſed pluribus ſimùl & interruptis vicibus, ob ejus, quod offendit, contumaciam, materia vel nimis craſſa tenaciusque impacta, vel nimis ſubtili & expulſionem ſubterfugiente aut extra vias poſita & per conſenſum irritante, repetita inſurgunt. Irritari autem eò facilius poſſunt pulmones, quod ſubſtantiam neutiquam carnoſam, ut veterum opinio tulit, ſed ex leviſſimis & tenuiſſimis membranis, ab ipſis tracheæ bronchiis propagatam habeant, quæ extenſæ & ſinuatæ tantùm non infinitas veſiculas orbiculares & ſinuoſas efformant, alveolis in apum favis ſimiles, unde compreſſis violentius pulmonibus aër antea imbibitus & collectus ex una veſicula in aliam, hinc iterum in aliam & denique in bronchia per aſperas tracheæ vias vel ſolus vel cum occurrente valdè moleſtante ſtrepero ſono ejicitur, vid. pleniùs accuratiores *Marcelli Malpighij obſervationes in epiſt. gemina Th. Bartholino de pulmon.* annexis. Comprimuntur autem pulmones à contracto undique & anguſtato thorace, ut cum impetu aërem & obſtantia quævis ſequacia extundant. Unde *ſecundarium Subjectum* thoracis

muſculos, præcipuè diaphragma, nec non abdominis, partìm thoracem detrahentes, partìm in abdomine contenta comprimentes, ipſumque adeò diaphragma retrudentes patulumque pulmonum ventrem coarctando, aërem in ipſis fluctantem violentiùs exprimentes dico, quæ prolixius ex Anatomicorum libris petantur.

IV.

Cauſa immediata eſt facultas pulmonum expultrix irritata, (ſpiritum hanc cuſtodem pulmonis vocat *Petrus Ioh. Faber univerſ. ſap. l.* 3. *de morb. pulm. cap.* 2.) primò naturalis poſt animalis; utrumque iterum *Galenus* probat, illud quidem *comm. ult. l.* 3. *de iis quæ in offic. med.* tuſſim ajens eſſe motum p. n. facultatis naturalis & quidem expultricis pulmonis & pectoris, hoc 2. *de ſympt. cauſ.* ſternutamentum & tuſſim ſymptomata voluntariæ facultatis affirmans, & *l.* 4. *de loc. aff.* ſine vehementi thoracis conſtrictione tuſſim effatu dignam non fieri aſſerens. Scil. motus quidem unus eſt, utriuſque tamen facultatis concurſum deſiderat; expultricis naturalis irritatæ conatus adeſt, ſucceſſus verò nullus ſequitur, quem animalis virtutis auxilio aut organis, quibus deſtituitur, adjuta perficere nequit.

V.

Irritantes *cauſæ mediatæ proximæ* ſunt quæ moleſtiæ ſenſum ſive anguſtiam pariendo ſive modo quocunque laceſſendo inferunt. *Galenus* intemperiem partium ſpiritalium & morbum in via accuſat *comm.* 4. *aph.* 54. 2. *de ſympt. cauſ.* 4. & alibi. Præcipuas autem inter intemperies frigida tenet *l.* 1. *de ſympt. cauſ.* 5. *m. m.* 13. quæ pectori inimica 5. *aph.* 24 *Cous* tamen etiam calidam nominat, unde tuſſes ſubinde aridas in febribus ardentibus fieri ſcribit 6. *epid. ſ.* 2. *c.* 24. *Paulus Aegineta* ſiccæ meminit *l.* 3. quibus *Alexander Trallianus* quoque humidam

ſuper-

superaddit *l. 5. c.* 1. Ita suo omnes merito inculpantur. An verò intemperies nuda s. sine materia an cum hac plus valeat, aliis disceptandum relinquo, cùm si scapham scapham appellare debeam, illa inter non-entia Medica dubio procùl referenda sit; adi *Christ. Langium miscell. cur. med. gymnasm.* 2. De morbo in via adeò res nota est, ut litem huic nemo moveat. Suam autem hîc operam elocant *interna & externa*, *fluida* alia, alia *solida*, *intra* vel *extra* spiritales vias, *primariò* aut *per consensum* irritantia. *Fluidorum* locum tuentur humores omnis generis sive secundum sive p. n. corpori inexistentia, & infelix horum progenies, vapores & flatus. Sanguinem hæmoptoë tussim sequens prodit. Alios humores & præcipuè pituitosos communiter dictos nunc acres, salsos vel acidos, nunc blandos & insipidos, nunc tenues fluidosque, nunc crassos & viscosos, nonnunquam etiam purulentos, sordes, quæ excernuntur variæ, sensibus probant, qui sola subinde mole & quantitate, sæpius qualitate aut utraque simùl molesti sunt. *Paulus Barbette* in phthisi lympham tàm crassiorem vesiculas pulmonum replentem, quàm serosiorem per pulmones cum succo nutritio circulantem & stimulantem incusat *l. 3. prax. cap. 2. de phthis.* Colligitur subinde in cavernulis his ceu Æoli officina aër flatuosus ventosique vapores ex crudo sanguine nati aut extrinsecus concepti, qui nisi per commune hoc corporis ventilabrum debitè expelluntur, cumulati non modò pulmones sed totum sæpè corpus onerant & inflant quod pleniùs & egregiè pro more suo *Th. Bartholinus de pulmon. f.* 2. deducit.

VI.

Solidorum numerum itidem multa augent, *Theophrastus Paracelsus* tartarum præprimis suspectum facit,

hujusque mucilaginem lutosam parietibus (membranaceis loculis) pulmonum adhærere, meatus obstruere, asperamque arteriam ad expulsionem irritare dicit, qui si diuturniori mora crassescit & tandem lapidescit secundum *Petrum Ioh. Fabrum l. c.* grandines fiunt & calculi; ab illis diuturnam *Galenus* tussim memorat 4. *de loc. aff.* 8. Eandem à calculis hîc concretis *Fabr. Hildanus l.* 2. *obs. chir.* 29. & complures notarunt. Vermibus hæ pulmonum cavernæ interdum etiam hospitium præbent, quos tussi excretos *A. Benivenius de abditis rerum caus. c.* 77. vidit, folliculis singularibus in Tursionis pulmonibus inclusos *Th. Barthol. cent.* 2. *hist. Anat.* 25. *de pulm. f.* 2. observavit, unde persuasi Veterum nonnulli tusses ferinas ab *Hippocrate* 6. *epid.* adductas non alias credidêre, quàm ubi lumbrici ejiciuntur, *H. Mercuriali* teste *l.* 2. *med. pract. c.* 1.

VII.

Inter *Externa* choream ducit aër frigidus 3. *aph.* 23. mordax 5. *aph.* 20. fumosus, pulverulentus, salinis, mineralibus halitibus refertus qui ore haustus pulmonibusque exceptus, irritare non modò spiritales vias novit, sed pertranseunti sanguini quasi manum injicit, cursum sistit, figit, & subita non raro nec opinantes morte opprimit, autore *Malachia Truston diatr. de respir. usu prim. f.* 19. Succedunt esculenta & potulenta quæ nimis salita, adstringentia, aromatisata, acria, cœpæ crudæ, piper, item rancida & oleaginosa (quo nomine malè audiunt, nuces juglandes & amygdalæ vetustæ) nicotianæ Circeæ secundum *Lindenium c.* 6. *phys. med. n.* 183. herbæ fumus jugiter in pulmones tractus, venena quædam ut arsenicum, βηχικὰ fiunt; ita ex acri limonum succo excessivè sumto tussim natam *Nic. Tulpius* descripsit *l.* 4. *obs. med. c.* 20. parem è potu vini mustei *Lotichius*

chius l. 3. *c.* 1. *obs.* 2. notavit, idemque de cerevisia non rectè fermentata aut defecata judicium. Frigida hausta corpore toto ex itinere æstuante acerrimam tussim irritavit apud *VVolfg. Gabelchoverum cap.* 4. *cur.* 28. magisque nive vel glacie alterata teste experientia & *Hippocr. in aph.* deglutita enim per œsophagum asperam arteriam propè adjacentem plus æquo refrigerat secundum *Highmorum anaceph. p.* 258. vel concentrato per antiperistasin calore pulmones & viscera reliqua impensè calefacit & velut igne admoto tantùm non comburit secundum *Th. Barthol. de nivis usu med. cap.* 35. vel nitroso sale mordet *cap.* 7. Unde *Plinius l.* 19. *cap.* 4. non injustè invehitur in patritios & divites his verbis: Hi nives, illi glaciem potant, pœnasq; montium in voluptatem gulæ vertunt. Servatur algor æstibus excogitaturque ut alienis mensibus nix algeat. Saliva in laryngem acrior aut impetuosior irruens, alia quæcunque in ventriculum ingerenda à via aberrantia & laryngem tentantia, (quod specialiter das Verkürmen vocant, iisque ferè accidit, qui loqui simùl & deglutire, simùl flare & sorbere volunt, eâdem culpâ tenētur,) cui vacat plura ex *Gal. l.* 2. *de simpl. med. fac. c.* 17. petat. Hirudo in faucibus hærens, lapillus in tonsillarum abscessu concretus apud *I. Langium l.* 2. *epist. med.* 57. nucleus avellanæ deglutitus *Th. Barth. c.* 2. *histor. anat.* 27. cerasi, *Sennert. l.* 2. *prax. p.* 3. *c.* 3. & 5. sternutamenta per nares ad fauces præcipitata, aqua, pus, in cavitate collecta, turundæ ex oscitantia chirurgi per vulnus in cavum raptæ ex *Hild. cent.* 1. *obs. chir.* 46. *c.* 3. *obs.* 36. parem effectum dederunt. Apud eundem globulus vitreus in auris meatum immissus *cent.* 1. *obs. chir.* 4. auris nimis altè & profundè titillata apud *Highmorum l.* 2. *anat. p.* 3. *c.* 1. ob ramulum è quinto pari nervorum auditorio ad laryngis musculum sparsum; quam tamen nervo-

nervorum propaginem *Rolfinccius* perpetuam non credit *diss. anat. l.* 4. *cap.*36. tussim movit, ex annatis pulmonibus idem *Th. Barthol. l.c. de pulmon.* factum animadvertit.

VIII.

Cæterùm causam hanc omnem in pulmonibus obviam vitiô pulmonum propriô à Vulcani corruptoris, qui ex bono alimento phlegmata fabricat, infirmitate generari, ut *Ioh. Bapt. Helmontius* vult, credibile non est, sed sæpiùs aliunde advenit & hîc colligitur. Vulgata Veterum opinio est, depluere, pituitosum præcipuè, de capite vel cerebro; melius moderni, sub oculatiori hodierna anatome, edocti, nec tales tantasque cerebro sordes concedunt, nec vias, si adessent, unde tàm promtè in pulmones descendant, vident; ea enim sæpè sentina exantlatur, cui nec cerebrum nec patulus pulmonum venter capiendæ sufficiunt. Vero similius igitur frequentiores tussis causas suppeditant vitiosi humores varij à toto corpore cum sanguine reduce ad cor transmissi & velut in cloacam per arteriam pulmonalem in pulmones exonerati. vid. *Nobiliss. Dn. Præsidis Præceptoris mei fideliss. æviternùm summè colendi disp.*3. *de sangu. in circ. motu thes.*8. Ita hepar & alia viscera in putrilaginem soluta tussi rejecta testatur *Schneid. disp. de phthis. ver. nat. & rect. cur. rat.* repetitque *l.* 4. *de catarrh. c.* 3. Non alienum à veritate, sed hypothesi non concessa, videtur *Ioh. Mayovv. tr. de respir. p.* 4. *seq.* humorem pituitosum qui tussi rejicitur, ex nervorum ramificationibus asperæ arteriæ & bronchiis communicatis emanare. *Schneid. hinc inde de catarrh.* per laryngis vasa & tunicam sudare putat. *Iacobus Heinr. Pauli* per lymphatica jugularia vasa magnam partem descendere credit *in anat. Bils. anat. c.*8. Suumque etiam contribuere lymphatica in pulmonum parenchyma immersa secundum *Olaum Rudbeck de vas.*

gland. seros. tab. 2. *fig.* 1. possunt. Sub mutato enim & perturbato humorum motu variæ viæ naturæ necessitati cedere possunt. vid. *Conring. de motu sangu. & gener. c.* 38. *Nath. Highmor. l. c. c.* 6. *Guern. Rolfinccius l.* 6. *Anat. c.* 27. Pro pure à pleura deferendo manifestas pororum vias cum *Th. Bartholino diatr. de pulm.* multi eligunt; commodius à pulmonibus petitur, unde facilè in vesiculas, hinc in hiantia bronchia influit, vid. *disp. inaugur. Dn. D. Hannekenij de pleuritide th.* 18. A thoracis cavo promtè, quicquid insidet, per foramina tunicæ pulmonum patentia imbibitur, quæ sursum materiam quamcunque de facili admittunt, variis id attestantibus exemplis à *Th. Bartholino l. c. s.* 7. citatis, viditque *VValæus* pisum majusculum hos in poros inseri potuisse, *in notis Leonhardi Blasij ad Veslingij anat.* Malè tamen ita & aërem descendere è pulmonibus in cavitatem subsumit *Helmont. l. de catarrh. delir.* §. 45. contra quem feliciter calamum strinxit *Th. Barthol. de pulmon. s.* 7. ferè per totam. Intrare vermificum sive animatum seminium cum aëre hoc imprægnato potest secundùm *Athanas. Kircherum de peste*, potest cum sanguine verminante influere, *ephem. nat. cur. anni* 1. *obs.* 50. potest inibi ex corruptis pulmonibus nasci in phthisicis, vid. *Th. Barth. cent.* 1. *hist. anat.* 46. Utrum & quo vermes modo in ventriculo & intestinis hospitantes tussim movere queant *P. Salius Diversus in annot. super lib. Donati ab alto mari c.* 47. quærit; ℞. per vaporum putridorum ad pulmones appulsum, qui vel per gulam elevati unà cum aëre in pulmones alliciuntur, vel per lacteas venas in cor & pulmonum vasa & substantiam membranosam usque in tracheam inseruntur & continuò sine sui expulsione irritant; quam viam etiam hypochondriacorum flatibus moderni monstrant vid. *Franc. de le Boë Sylvius in l.* 1. *prax. p.* 3. *c.* 5. Ventoso aliàs aëri cum sanguine in pulmones

irruenti arteria pulmonalis, extrinsecus trachea viam facit.

IX.

Remotiores disponentes ex naturalium, non-naturalium & præternaturalium serie fluunt. Inter *res naturales* primum occupat locum temperamentum frigidum & humidum, phlegmaticum, calidum & humidum, quod defluxionibus obnoxium *Galenus* facit 6.*de sanit.tuend. c*.3. *s.m.m*.7. densus durusq; corporis habitus minus perspirabilis. Huic succedit ætas; infantilis *s*. 3. *aph*.27. ad tussim proclivis, ob alimentorum copiam & inde humiditatum abundantiam, insensilis halitûs effluxu plerumque non satis expedito, conferre etiam symbolum suum noviter haustus aër sub primis in recensnatis diebus potest. Senilis, ob crudorum humorum luxuriam tussiculosa *s*. 3. *aph*. 31. Unde satis aptè *Terentius* nomen Chremetis personæ senili imposuit ἀπὸ τοῦ χρέμπτεσθαι quod exscreare notat. Juvat nonnihil etiam vitæ genus, hinc cantores, tubicines, qui respirationis organa continuò exercent, ab emisso jugi spiritu, tracheæ siccitatem experiuntur, chimici, aurifabri, metallifossores, murarij, lapicidæ & cœmentarij, quorum pectora mineralibus, calcis recentis vaporibus ac pulveribus replentur, sæpiùs non modò tussi afficiuntur, sed phthisi ut plurimùm obnoxii sunt secundùm *VVolf. Hœfer. Herc. med. t*. 1. *l*. 2. *c*. 2.

X.

In *rerum non-naturalium* classe aëris ambientis constitutio plurimùm valet. Hyemalis cùm destillationum ferax sit, creberrimè prolem βηχικὴν producit juxta 3. *s. aph*. 23. Hinc *Catullus* frigore rigens in malam tussim incidit, ut meminit *carm. in Fundum v*. 13.

Hîc me gravedo frigida & frequens tussis
quassavit, usq; dum in tuum sinum fugi,
& me recuravi ocimoq; & urtica.

Ex aquilonari idem malum senex noster minatur 3. *s. aph.* 5 iis præcipuè qui corpus habent νοσερὸν. Vernalem quod humores fundat, fluidosq; reddat pariter *s.* 3. *aph.* 20. accusat. Anomala quæcunque & inæqualis ex decreto 13. *aph. sect. allegatæ* idem patrat. Influxus astralis epidemias nonnunquam gignit tusses. Luna si fuerit sub terra cum aliquo planeta malefico in aliqua domo ♄ni utpote in capricorno vel aquario, pectoris dolorem cum tussi excitabit ex *Abra. Avenaris* sententia. Viribus aliquomodo respondet aëri ambienti frigiditas & caliditas, quæ pauciori vel abundantiori vel calidiori vestitu externis pectori impositis quibuscunque aliis conciliatur, vid. *Leonh. Botallum de catarrh. c.* 3. Esculenta & potulenta pariter si quantitate exorbitent catarrhis & consequenter tussi non levem ansam dant secundùm illud Germanorum vulgatum: **Viel Süsse machen viel Flüsse/ in die Lung und Füsse;** sæpenumero verò qualitatibus nocent quas sanguini affricant, de quibus jam ante. Ex nimia corporis commotione ancilla præfecti cujusdam capiti in lecto petulanter innitens, pedibus sursum versis, **hat im Bett ein Baum gestellet/** tussim acerrimam incidit cum plurima exscreatione, à qua per 7. septimanas multis etiam usurpatis remediis liberari non potuit apud *Gabelchoverum cent.* 3. *cur.* 3. Somnus & vigiliæ si modum excedant suum quoque addere symbolum in propatulo est. Decubitus similiter in somno supinus nonnullis tussim movet. Animi affectus, excandescentia præprimis vel risus effusus. Evacuationes consuetæ, hæmorrhoidum, mensium, intermissæ, diaphoresis impedita, salivalis humor retentus viam pariter sternunt.

XI.

Ex *præternaturalibus* potissimùm frigida capitis & cerebri intemperies accusatur, rectius sanguinis; plethora, cacochymia, fomitem suggerentes, delirium, abscessus

 ad aures

ad aures ex *Zac. Lus. prax. hist. l. ult. c. 2. n. 5.* tussim concitant; thoracis angustia, pulmonum, diaphragmatis, quæcunque ferè & vicinarum partium p. n. dispositio, ventriculi debilitas, inflatio, cruditates coacervatæ, unde puerorum utplurimum tussim derivat *Ettmüllerus in valetud. infant. §. 23.* vermes in ventriculo & intestinis hospitantes, hepatis, lienis intumescentia, hydrops, malum hypochondriacum, scorbuticum, hernia, renum imbecillitas serum non debitè abducens in pueris sæpè causa tussis fit secundum *Mercatum de morb. pueror. cap. 8.* Exemplum *Riverius* citat *cent. 1. obs. 55.* testes inflammati *2. epid.* non longè à principio, ob consensum spiritalium, ut putant, cum genitalibus singularem, febres magnæ, hecticæ præcipuè nec non malignæ apud *Hipp. in Coacis*; variolæ, morbilli, scabies retrocedentes, vertebrarum luxatio, gibbositas, evacuationes consuetæ suppressæ de quibus th. præced. actum.

XII.

Sequuntur *Differentiæ* quarum prima desumitur *à Genere.* Efflatio illa magis vel minus vehemens est. Valida ac violenta, θηριώδης, ferina, de qua *Anutius Foësius in œcon. Hipp.* legatur, hæcque vel sonitum acutum habet, unde *Quinta* & *Quintana* vocatur, qua de consule *Ballon. in epid. & ephemer. l. 2. p. 256.* Vel raucum clangorem edit & *Ovina* in vernacula etiam nostra Schaffhuste dicitur. Exigua verò docente *Galeno l. 2. de caus. sympt. c. 4.* impetus quidam & quasi tussiendi initium est, Græci κέρχνον nominant. Deinde tussis alia *ratione materiæ* arida est & sicca βῆχες ξηραὶ ἄπτυστοι *s. 4. aph. 54.* in qua nihil excernitur sed irrito defatigatur corpus totum tussiendi conatu, seu facultatis seu materiæ vitio aut defectu. Alia ὑγρὴ πολύπτυστος, humida, in qua humor aliquis tenuis ac paucus rejicitur, nunc copiosus crassus ac pinguis (ut phrasi utar *Plautiana*) satis magnificè exscreatur. Ratione *Subjecti* alia omnes pulmo-

pulmonum fistulas, alia nonnullas, dextrum vel sinistrum lobum affligit, alia in ipsis pulmonibus generatur, alia aliunde suppeditatur; illam κατ' ἐξοχὴν vocamus **ein Lungenhusten.** *Figuræ intuitu* rursus quædam cum sputis est inæqualibus, laceris, angulosis; alia æqualibus, globosis, ad vesicularum suprà thes. 3. depictarum formam effigiatis. *Temporis ratione* alia recens, alia inveterata: talem triginta quatuor annorum descripsit *Baldass. Timæus l. 2. cas. med.* 14. Alia est periodica, quæ per certa intervalla; alia continua quæ sine intermissione ægrum fatigat. *Ratione complicationis* alia simplex & solitaria quæ cum nullo alio morbo conjungitur, alia composita quibusdam adjuncta deterioribus affectibus, ut variis dyspnoeæ specieb⁹ aut phthisicæ passioni, sanguinis rejectioni, hydropi ascìti, lumbricis, febribus, raucedini, lipothymiæ &c. *Moris & invasionis respectu* quædam maligna, contagiosa, epidemica, qualem hîc locorum sub elapsæ hyemis initio experti sumus, pluribusque de hac videatur celeberr. *Dn. D. Sennertus lib. 4. de febr. c.* 17. quædam benigna sporadica.

XIII.

Quà *Signa Diagnostica* omnis quidem tussis visu & auditu facilè cognoscitur, nec signis opus est aliis: ut tamen causæ cognoscantur variæ, omninò his opus est. Ferinam malignitas & vehementia prodit; & in specie Quintana, qua infantes & impuberes infestantur, hisce indiciis deprehenditur, quod cum acutissimo sonitu & singultu quodam prodeat, nullis admissis induciis aut respirãdi spacio, adeò, ut intercepto occlusoque anhelitu suffocatio immineat, vid. *Lev. Lemnium de occult. nat. mir. l. 3. p.* 287. Ovina facilè ex rauco illo & horrisono strepitu cognoscitur. Si per essentiam fit, nulla aliarum partium affectarum signa adsunt; si per consensum aliorum membrorum, id læsiones & dolores eorundem indicabunt, tum

signa ex propriis locis petenda. Quæ ex dyscrasia calida producta est, è sensu caloris totius vel partis cognoscitur, item è siti, non qualibet, sed quæ frigida inspiratione sedatur, ut docet *Galenus art. med. cap.* 64. rubedine faciei, pulsu magno, causis prægressis calefacientibus, juvantibus denique & nocentibus. In frigida verò signa contraria apparent & tum calida prodesse sentiuntur, cohibitione spiritûs non solùm reprimitur, sed etiam sanatur teste *Pergam. l.* 2. *de caus. sympt. c.* 4. Tusses à siccitate vel humiditate ortæ simili ratione dignoscuntur, in illa asperitas & siccitas faucium urget, in hac contra fit, humida semper excernuntur. Compositæ è signis complicatis patescunt. An verò humor admixtus, & qualis ille sit, indicabit sputum determinatum. Si sanguis, rubrum est quod exscreatur; si bilis, flavum vel viride erit; si pituita album; si cineritium simùlque fundum petens, communi voto pus judicatur, ita calculi, vermes &c. suis se propriis produnt indiciis. Postremò num sola qualitate vel quantitate talis peccet ex sapore qui vel dulcis est aut insipidus, salsus, amarus, acris, acidus, & copia sputi quæ modò major vel minor colligi poterit.

XIV.

Prognostica signa triplicis generis sunt. Alia salutem vel mortem, alia longitudinem vel brevitatem morbi, alia modum solutionis prænunciant. Quæ salutis spem vel mortis periculum injiciunt desumuntur 1. *à Genere.* Tussis vehemens inprimis Quintana in infantibus respirationem & somnum impedit, sæpè etiam ex multa quassatione caput commovet, febres acutas, epilepsiam & hernias excitat, urinam, alvi feces involuntariè extrudit, interdum planè suffocat. In adultis vasorum pulmonis rupturam, sputum sanguinis, saniei, & phthisin, in prægnantibus verò abortum minatur. Tussis minimè laboriosa quam inse-

sequi-

sequitur facilis sputi eductio & levamen, valida existente virtute, semper salutaris, juxta illud tritum: bonus sputator, bonus evasor. 2. *A Subjecto.* Ab ulcere pulmonum & apostematibus duris viam spirandi coarctantibus semper mala. 3. *A Causis.* Tussis ex intemperie ut loquuntur simplici non prorsus despicienda, sicut *Galenus* docet exemplo adolescentis, qui ex tussi à causa frigida dimidiam heminam sanguinis rejecit. 5. *meth. med. c.* 13. Periculosa etiam illa est, quæ fit à materia catarrhali tenui & acri, vid. 6. *epid. comm.* 3. *t.* 18. Hydropi superveniens mala & desperata, juxta *s.* 6. *aph.* 35. nec non 7. *aph.* 49. exemplum hydropici *Ctesiphontis* hoc testatur; in quo ἐπὶ τῇ τελευτῇ βὴξ καὶ πνιγμοὶ ἐγένοντο ἐσ νύκτα & tandem ægrum sustulerunt 7. *epid.* Grandinosæ denique ac calculosæ admodùm ancipites. Tussis ex propria sua natura affectus longus est, pro causarum tamen aliorumque accidentium ratione variat. Valdè senes inducias cum tussi, nunquàm tamen firmam pacem inire possunt, unde non malè horum conviva dicitur, quia eos plerumque comitatur usque ad mortem. 2. *aph.* 40. hocque non modò de aliis ægris senibus, sed & de Medicis verum est, contra jocosam *Leoniceni Medici* limitationem à *Brassavolo in comm.* citatam. Modus solutionis καθ' ἔκκρισιν optimus est, quando materia peccans justa qualitate & moderata quantitate per loca conferentia cum ægri εὐφορίᾳ evacuatur. Tusses siccas solvit alvus amplius subducta in his, qui tonsillas destillatione vexatas habent. *Hippocr. de dentit.* Tussiculæ quæ sunt cum sputatione, abscessus circa aures submovent 1. *prorrh.* Quibus verò tussis nihil elidit & sicca est; ea non nisi valido coxendicum dolore aut crurum aut testium solvitur 2. *epid. s.* 5. *t.* 16. sed de hujusmodi signis pro nunc satis.

XV.

Succedit ipsa *Curatio* quæ duplex est: *Ordinaria* scil. & *Cca-*

& *Coacta*. Ordinariam à remotione causarum, quarum quælibet peculiarem indicationem suppeditat, auspicamur. Intemperies igitur per contrariam qualitatem alteranda, viarum morbus tollendus, materia crassa attenuanda, tenuis incrassanda, viscida incidenda, abstergenda: acris demulcenda, motu peccans revellenda, intercipienda, derivanda, evacuanda, in pulmonibus & bronchiis generata aut collecta loco movenda. Ubi per consensum cum aliis primariò affectis, ventriculo, liene, hepate &c. malum oritur, & his debito modo succurrendum. Coacta ipsam tussim, ut naturam urgentis symptomatis habet, respicit, quæ per lenientia, sensus acrimoniam obtundentia & similia peragitur. Auxiliorum materia è tribus consuetis fontibus, diætetico, chirurgico, pharmaceutico haurienda.

XVI.

Fons Diæteticus legitimum sex rerum non naturalium usum commendat. Aër intemperiei & causis morbificis contrarius sit, In calida ergò causa quæratur frigidus, cibi refrigerantes & humectantes offerantur, quales sunt ptisana, hord. malva, borago, bellarium ex lacte, amylo, butyro & saccharo paratum, ad pultis formam & consistentiam coctum & similia. Potus sit aq. hord. decoct. citri, emuls. amygd. dulc. sem. 4. fr. &c. In frigida aër calidus eligatur, si talem ferunt anni tempora, sin minus, arte talis paretur. Crassus, turbulentus, nebulosus, flatus pariter ventorum impetuosi caveantur. Victus sit ex cibis calidis, pectoralibus, aromatisatis, jusculis ex cerevisia, melle, butyro & pauxillo croci paratis, ovis sorbilibus, vel edulio ex ovis, vino, saccharo & butyro confecto, quod Nostrates Weinwarm vocant. Panis sit benè fermentatus & sem. fœnic. vel anisi conditus; carnes facilis digestionis boniquenutrimenti. Potus sit vinum gene-

generosum, dulce, enulatum, salviatum, vel mulsum. Convenit etiam aliquando jejunare & cibo parciùs uti. In amictu pectus pedesque diligenter contra aëris injurias muniantur. Exercitatio corporis sit moderata. Somnus & vigiliæ mediocritatis leges non excedant; excrementorum in corpore proventus per consuetas evacuationes præcaveatur; metus, tristitia cæteraque mala animi accidentia in exilium mittantur.

XVII.

Chirurgicus sistit omnium communissimum instrumentum v. sectionem; hanc verò ut nec in omni tussi, nec huic ut tali commendo, ita nec simpliciter, nec semper, causarum & aliarum circumstantiarum intuitu rejiciendam censeo. Scil. ubi plethora, notabilis sanguinis impetus aut ventositas, ubi solitæ hujus evacuationis suppressio, sputum sanguineum, aliaque sanguinis evacuationem suadentia adsunt, cæteris paribus, & consentientibus omninò suadeo, hacque ferè unica molestissimam tussim promus condus observationum *Ioh. Schenckius l.* 2. *obs.* 2. *de tussi* curavit. Secus ubi aliter se res habet, ita enim in epidemica superioris seculi 1580. nec non sub illa æstate anni 1559. orta ex *Th. Bartholini* observatione *in ephem. colleg. nat. curios. anni* 1. *obs.* 61. plerosque jugulavit. Ubi igitur locum habeat, morbi & causæ morbificæ conditio, ægri virium constitutio & similia determinabunt. Quod idem de V. s. vicariis cucurbitulis scarificatis dicendum. Multum auxilii etiam promittunt fonticuli in tussi præsertim diuturna catarrhali, ubi scaturigo à sanguine venit, quos ideò laudant *Mercurialis cons.* 14. *Iul. Cæsar Claudinus consult. med.* 10. Fiant autem rectiùs in artubus quàm capite. Rationes videantur *in disput. Nobiliss. Dn. Præsidis de fonticulis.* Nonnulli etiam setaceum approbant in scroto affixum ob magnum pectoris & pudendorum consensum

ab ipſo *Hippocrate* confirmatum qui tuſſim ſiccam per abſceſſum teſtium ſupervenientem levatam oſtendit 2. *epid.* vid. *Rod. à Fonſeca conſult. med. t.* 1. *obſ.* 60. Verum an eodem modo abſceſſus natura & arte facti juvent, dubitare licet. Sit verò tutum remedium; at inſuetum, quod æger ægrè admittet. Nec veſicantibus parcendum; ſanguini enim depurando multum opis præſtant. Frictiones fuliginibus expeditam viam faciunt, ligaturæ impetum furioſæ materiæ coërcent & ab hac partem affectam quadantenus liberant. Pectinationis etiam non planè nulla vis eſt, ſi fidem meretur, quod ſcribit *Helmontius l. de ſextupl. digeſt. aliment. t.* 28. aſinam lactis guſtu dignoſci, num pexa fuerit iſto mane an non.

XVIII.

Cætera *fons Pharmaceuticus* expedit univerſalibus & particularibus ita dictis evacuantibus & alterantibus, internis, externis, ſimplicibus & compoſitis, ex triplici animalium, vegetabilium, mineralium, regno petitis. Univerſalia illa communiter audiunt, quæ totius maſſæ ſanguineæ cacochymiam, tuſſis fomitem, expurgant, quæ pro peccantis materiæ varietate & corporis laborantis conditione varia ſunt hinc inde obvia. Primas autem tenent alvum ducentia & inter hæc blandiora, manna, mechoacanna, rhabarb. ſem. carthami, agaricus crud. & trochiſc. fol. ſenæ, ſir. roſ. ſol. rhab. c. cichor. de manna, caſſ. fiſtul. recenter extr. & hujus farinæ ſimilia; his non ſufficientibus fortiora ſequantur, gialappa, ſcammonium, colocynth. helleb. &c. & hinc educta varia. *Riverius* calomelanos ſuum laudat c. reſ. gialapp. aut diagryd. *c.* 3. *obſ.* 31. 47. Præmitti non rarò his, ubi affectus inducias indulget, præparantia ſolent, in vulgus nota & interna alterantia mox recenſenda. Clyſteres ſuo pariter fructu non deſtituuntur, vel ſaltem domeſtici, præſertim in tuſſi hypochondriaca;

driaca, ubi alvus lubrica ſit, oportet. Vomitu ab aqua benedicta procurato tuſſim tùm recentem tùm inveteratam plerumque, ſi non ſemper, curari *Ioh. Hartman. in prax. chimiatr.* ſcribit. Sed magnâ hoc loco in generoſi hujus auxilij uſu circumſpectione opus eſſe cenſeo, quod primam quidem regionem ventris ab impuritatibus liberare, fortè etiam ex pectore fluctuantem ibi ſentinam extundere novit quadantenus, ſicque catarrhos & hinc oriundas tuſſes ſiſtere poteſt; at in inaſſuetis, indiſpoſitis, ſæpè vaſorum rupturam, hæmoptoën & phthiſin poſt ſe relinquere ſolet. Diuretica inter univerſalia etiam fortiter hîc ſe non modò gerunt, dum ſanguinis ſeroſam colluviem per vias urinarias optimè abducunt; experimentum *Riverius* vidit renum præſertim peccante imbecillitate, in puero tuſſiente, cui fruſtra omnibus adhibitis regionem renum inunxit ol. ſcorpion. *Matthioli* ter de die, unde tuſſis ceſſavit. *cent.* 1. *obſ.* 55. ſed & natura ipſa duce, è thorace ipſo ſæpè hùc materia feliciſſimè amandatur, ut empyicorum, pleuriticorum pus abunde teſtatur. Diaphoretica itidem vitioſam ſanguinis ſentinam tuſſis ſuſcitabulum per omnem corporis habitũ per minutos ſc. glandularum cutanearum ductus egregiè climinãt, præcipuumque uſum habent ubi malum epidemicum, miaſma malignum ſuſpectum eſt. Aliquando etiam ad ſalivationem recurrendum eſſe non malè putat *Sylvius l. c.* §. 33. de qua & variis hanc excitandi modis videatur *Rolfinccius m. m. ſpec. comm. l.* 6. *ſ.* 3. per totam.

XIX.

Particulares evacuationes per errhina non rarò ſuam hîc etiam pollicentur operam, quatenus humores ſeroſos in pulmones aliàs fluxuros ad nares derivant: materiam præbent ſuccus anagall. betæ, majoranæ. Expectorantia, *βηχικὰ* Græcis dicta in curatione tuſſis utramque ferê

paginam absolvunt & quidem variis in formis, quas non avaritia Medicorum, quam *Plinius* allegat *l.* 22. *c.* 24. sed ægrorum lubido, causarum morbificarum varietas & usus commoditas invenit; convenientissimè autem solidiori formâ usurpantur, ut sic in ore diutius retineri, sensimque per rimulam asperæ arteriæ humori salivali permixta descendere, & contenta in pulmonibus excrementa ad facilem eductionem præparare queant. In causa calida ac tenui inprimis talia proficua censentur quæ refrigerant simulque vi sua emplastica incrassant, qualia sunt ex simplicibus: Radices alth. buglosſ. endiviæ, glyzyrrhizæ, polypodij. Folia alth. capill. ♀is, malvæ, tussilaginis. Flores, malvæ, nymph. pulm. mac. violar. purp. Semina: hordei, malvæ, alth. cydon. papav. 4. frig. maj. & min. Fructus: passul. min. amygd. d. pineæ rec. pistaceæ, jujubæ, sebesten, poma Borsdorfiana. Ligna: santalorum species. Gummi: arabicum, tragacanthum: Lapides pretiosi: margaritæ, mater perlar. fragmenta 5. lap. pretios. Ex animalibus desumpta: ova tremula, butyrum, cancri fluviatiles, ranarum fluviatil. coxæ, pulmo vulpis, vituli, lac human. caprin. &c. Ex his & similibus variis sub titulis varia in officinis prostant composita, utpote sunt eclegmata quædam lenta: de mucilaginibus, passul. psyll. portulaca. Aquæ destillatæ: pulmon. vituli, buglosſ. capill. ♀is, farfaræ, nymph. papav. err. Trochisci ac orbiculi, lupinares à similitudine dicti, sæpius de die noctuq; præsertim cubitum ituris exhibiti, ut sunt bechici albi & nigri, diatrag. frig. diamarg. frig. diapendii s. spec. Tabulæ item usitatæ, ut sacch. rosat. tabul. violat. Species ac pulveres: diatrag. frig. diamarg. frig. bol. armen. & similes. Sirupi: viol. jujubin. de nymph. papav. s. rhead. de *Zizyphis*. &c. Si validiora inhibentia humorũ orgasmus imperat, diacodion Montani, theriaca recens, trochisci de carabe, philonium Romanum in usum vocanda; laudanum opiatum dextrè præp. ac adhibitum hoc in casu laudatum medicamentum est, ex *Helmontii* etiam commendatione, censoris aliàs rigidi, *libr. ius duumvir. inscripto* §. *62*. In crassis verò,

viscidis,

viscidis, calore resiccatis concretisve humoribus ex consilio *Hippocratis* nostri *l. 1. de morb.* partes respirationi servientes largo potu humectari debent, quo in casu emulsiones ex semin. 4 fr. maj. amygd. dulc. pineis, cum aq destillata pector. fr. paratæ, nec non decocta varia e. g. prunor. hord. flor. & fructuum, pect. Aug. secundarium raporum cum sirupo aliquo pector. frig. vel saccharo cand. edulcorata valdè utilia creduntur. In causa frigida & crassa talia conveniunt quæ calefaciunt, attenuant, incidunt ac abstergunt. Inter simplicia sunt: Radices ari, angelicæ, fœnic. ireos, helenii, squillæ, saponariæ, scabiosæ, tussilaginis raphani: Folia: herb. ƒ. capill. marrubii, scabiosæ, veron. nicotianæ, hed. terr. hyssopi. Flores item modò dictarum plantarum. Fructus: caricæ pingues, uvæ passæ, amygd. amaræ. Semina: anisi, fœnic. fœnigræc. lini, chærefolii. Aromata: crocus, ob vires suas in pectoris affectibus egregias pulmonum anima dictus. Ligna: sassafras, guajac. Gummi: ammoniacum, terebinthina, benzoë, myrrha thus. Marina: ambra, succinum. Animalia alb. græc. sperma ceti, mel, moschus, Zibethum. Ex officinalibus compositis non parum laudis merentur tabulæ illæ diaireos simpl. & Salomonis, diatragacanthi cal. & similes. Sirupi item varii, quos inter sir. de glyzyrrhiza, de farfara, hyssopo, oxymelite squill. s. & comp. ferè famosiores sunt. Species & pulveres: diaireos s. Salomonis, diatrag. cal. diapen. diaprass. diahyssop. diathamar. flores benzoini, fl. sulphuris aliquoties ♎ati, lac sulph. cui secundum *Quercetani* testimonium nulla hîc medicina par est. Conservæ: veronicæ, helenii, scabiosæ. Extracta: angelicæ, helenii. Olea stillat: anisi, fœniculi. Balsamus sulphuris. Aquæ destillatæ: veronicæ, hederæ terr. scabios. salviæ, pector. *Sennerti*, pector. cal. *Dorncreilii* & aliæ quam plurimæ. Multum hîc etiam conducunt eclegmata s. looch uti sunt sanum & expertum, de caulibus, prassio, pino, tussilagine, de pulmone cervi, vituli, vulpis, in pulmonibus roborandis magnarum pariter virium, quæ tamen affectatus ille scholarum ac officinarum Medicarum reformator *Helmontius* cum potissimis jam adductis & contra tussim aliàs usitatis decoctis, tabulis ac sirupis irridet contraque sanam rationem & experientiam hæc omnia & singula proscribit *lib. asthma & tussis inscripto* §. 76. *& seq.* Cæterùm cum vel acidi sunt humores desiderant ad sui corre-

ctionem ocul. cancr. CC. ustum, ebur, corallia. Salsi, gummi arabicum, tragacāthum, succ. althææ, glyzyrrh. pil. de cynoglossa. In tussi puerorū prodest ol. amygd. dulc. rec. express. nec non sperma ceti cum liquore appropriato solutū. In epidemica talia conveniunt quæ simul alexipharmaca vi gaudent, v. g. scabiosa, helenium. Tussis scorbutica præter hæc pectoralia, quibus plerumq; exasperatur, antiscorbuticis associatis extirpatur. Insignis quoq; efficaciæ in tussi potissimum inveterata phtihsica judicantur vapores, halitus ac suffitus, ex convenientibus bechicis tussilagine, scabiosa, nicotiana, ladano, thure, sulphure aliisque pro diverso medentis scopo parati, orisque suctu attracti per peculiaria hunc in finem confecta instrumenta à *Christ. Benedicto in theatro tabid. exercit. dianoët. 28.* descripta & *p. 184.* depicta, hinc enim ut tardum ab aliis bechicis ferè auxilium speratur, citius & facilius promittitur, vaporibus his cum aëre continuò & confertim attractis *Th. Barthol. c. 4. obs. 88.* sed ut taceam sub crebriori horum usu viarum spiritalium vel nimiam exiccationem nec non spiritûs inhibitionem esse metuendam, tussis ipsa ita irritari magis videtur. Reliquis causis sua quoque debentur remedia.

XX.

Alterantia externa vel universalia sunt vel particularia. Universalia totum corpus respiciunt: in frigida & humida causa thermæ sulphureæ laudantur; in calida & sicca testimonio *Galeni l. 7. de loc. aff. c. 3.* balneum aq. dulcis tepidæ prodest. Alterantia particularia foris pectori applicita simùl illud dilatent, ut liberius moveri queat illiusque dolores, quos ex valida illa concussione sentit, mulceant & materiæ in eo contentæ coctionem promoveant. In causa frigida conveniunt unguent. pector. Aug. empl. diasulphuris *Rulandi* cum ol. amygd. dulc. malax. de meliloto, ex bulbis lilior. & cœpar. sub prunis coctis, contusis butyroque mixtis. In calida thorax ol. viol. lilior. alb. unguento resumptivo *Fernelii* vel rosato inungendus. Ad defluxiones divertendas pediluvia ex appropriatis commoda erunt. Allium sevo ursino vel hircino permixtum, plantis pedum inunctum ad tussim sistendam certum quorundam prædicatur remedium, medulla cervi, pinguedo lucii paria faciunt, sub quorum remediorum debita administratione DEO sospitante indubie sequetur sanitas, optatus curationis.

FINIS.